De quodam fulmine tacto, aquâ vegeto-minerali Goulardi concentratiore feliciter & cito curato.

Inter varia naturæ Phænomena, quorum etsi quotidie
ferme obviorum genuinam rationem reddere haud valemus,
fulminis historia ejusque infesta in animata corpora actio,
principatum facile obtinet. Quamvis enim funesti, quos edit
effectus, satis superque ante oculos nobis sint positi, interim
tamen exempla eorum, qui efficaciam illius experti sunt, singu-
la stupendis adeo phænomenis conspicua sunt, quæ quidem mira-
ri, sed non æque explicare possumus. Cum enim ob incomprehen-
sibiles circumstantiarum minutias & combinationem illarum non
satis determinandam, veram horum effectuum causam nec perspi-
cere, nec rationis quidem usu aliquid memoratu dignum hac in
re assequi queamus, unusquisque in Physicorum scholis non medio-
criter versatus lubenter concedet, naturam fulminis ejusque agendi
modum explicatu esse quam difficillimam.
Hæc res clarissimos in arte viros eo impulit, ut arduam hanc do-
ctrinam non variis solum modo observationibus penitius eruere;
sed plurimis etiam nec sine insigni vitæ periculo hanc ob causam
institutis magis illustrare conarentur experimentis: quo factum
est, ut nobis sequentia jam constent generaliora dogmata: potenti-
am fulminis usque adeo vehementem vi materiæ electricæ plane

ACADEMIE ... DE MEDECINE BIBLIOTHEQUE

ARC 25 d. 42

esse similem: hanc vero materiam electricam subtilissima ignis elementa constituere ejusque effectus, solidissima corpora temporis momento penetrare, quidquid ipsi resistit, infringere, omnesque humores brevissimo temporis intervallo ad summum usque expandere, quilibet nunc novit. Fulmen autem non alia in aëre producitur ratione nisi materia electrica ibi hærens prius fuerit commota, isteque motus illo temporis momento, quo fulminis eruptio imminet, in maximo versatur fervore. Itidem plurima præstantissimorum virorum conamina nos docuerunt, in illis quoque corporibus, quæ Athmosphæræ electricæ obviam sunt, materiam electricam vinculis suis exui similiterque in motum impelli.

Si itaque homo funestum illud fatum fortuito incidit ut radius commotæ talis materiæ electricæ obvius ipsi feratur illumque contingat, tunc aliter fieri non potest nisi quod particulæ electricæ in ipso hærentes, extemplo etiam in motum conjiciantur & magno impetu prosiliant, illo præcipue puncto, quo fit contactus.

Hinc venit primus effectus, qui est contusio, vehementi materiæ electricæ eruptioni adscribendus, quique tanto majoris momenti est, cum tot et tam subtiles particulæ per universam partis collisæ substantiam erumpunt, adeo ut membra tali modo percussa, nisi illico avulsa aut destructa sint, paralytice certe afficiantur, omni prorsus sensu et motu orbentur, humores in vasis dilatatis et debilitatis, quandoque dilaceratis immoti maneant et vix non semper gangrænam minentur, quod forte ob eandem rationem contingit, quā membra quæ â frigore driguerunt & incautius majori calori exponuntur, idem periculum incurrunt, nempe ob miscelæ essentialis turbationem, unde maculæ rubræ, sugillationes & sanguinis in tres ventris cavitates extravasatio contingunt: pari, ut vasa, ratione nervi quoque afficiuntur, fluidum nerveum nimis expanditur, hinc organa vitalia, vasa, musculi paralytice afficiuntur & irritabilitate sua protinus orbantur,

quæ omnia aut vitæ periculum, aut saltem hujus vel illius partis paralysin inducunt.

Nec minus illa plethoræ species, quæ â rarefacto sanguine dependet, oritur, quia äer ambiens eousque distrahitur & rarefit, unde etiam fulmine tacti quoad maximam partem suffocati concidant. Inde sanguinis et tota humorum massa turgida vasa distendit, quod idem in animalibus sub anthliæ pneumaticæ campana positis evenire videmus. Forte etiam particularum electricarum in sanguine contentarum evolutio illius expansionem producit.

Perpensis probe his quæ hucusque adducta & certis experimentis fundata sunt, quilibet fulmine tactis mederi cupiens tres sequentes indicationes sibi habeat commendatas:

1.) sanguinis sufficiente evacuatione plethoram infringat.
2.) partium solidarum & vasorum tonum roburque restituat.
3.) humores in his vasis detentos & immobiles in motum reducat.

Sequens observatio quam, ut propriâ experientiâ nobis constat, fideliter adduximus, rationem methodi medendi talis affectus ulterius declarabit.

ACADÉMIE NATIONALE DE LORRAINE BIBLIOTHÈQUE

Anno MDCCLXXI tempore æstivo Studiosus quidam Theologiæ in Academia Erfordensi, nomine Frohn, qui postea Carthusianorum coetui accessit, prope fenestram ad mensam suam assidebat & fulminis radio per fenestram e sinistrâ regione positam ingresso tangebatur et in terram projiciebatur radiusque fulminis supra genu internam sinistri femoris partem

attingebat, braccas coriaceas penetrabat et per longitudinem tibialis descendebat, ubi usque ad malleolum adustionis signa relinquebat, exinde penetrato calceo inter primum & secundum pedis digitum ubicunque sugillationis signa manifesta erant, perrumpebat, obstraguli partem auferebat & per soleam iterum exibat relicto foramine parvi globuli magnitudinem æquante.

Ægrotus ne minimum quidem dolorem sentiebat, nec ejus, quod ipsi acciderat, quidquam animadverterat *; sed lypothymiâ afflictus omni sensatione orbabatur, ex qua rediens de ignis periculo vociferari audiebat et ut sese salvaret, surgere conabatur, hoc vero ipsi erat impossibile putansque, ut postea dixit, se pede læso omnino destitui, tunc clamare coepit, quo audito ad eum accurritur, ipse lecto traditur & ego protinus ad illum appellor.

* id quod etiam Clariss. J. J. Plenckius celebris Viennæ Chirurgus in Observation. chirurgicar. P. I. tractat. 2. observavit.

Postquam eum accessi & hypocaustum sulphuris odore repletum intravi, inveniebam in illo respirationem difficilem, pulsum fortem & durum, pedem sinistrum usque ad regionem supra genu valde tumefactum, insensilem & coloris lividi ab impressione radii fulminis, ut supra allegavimus, oborti, nullâ tamen fracturâ obvia. Ego statim tres indicationes ab effectibus fulminis suppeditatas & paulo ante memoratas in animum revocavi & ut primæ illarum satisfacerem, largam venæsectionem revulsivam duabus per quatuor horas repetitis vicibus institui, quia post primam pulsus durus & fortis remanserat. Secundam implevi præscriptione potionis temperantis et roborantis & pro potu ordinario infusionis florum Sambuci, quibus remediis pulsus durities respirandique difficultas minuebatur. Exterius parti afflictæ sub forma fomenti applicavi aquam vegeto-mineralem Goulardi consueto modo præparatam, nullo vero effectu; pars affecta enim magis magisque livida deveniebat suamque insensibilitatem continuo retinebat, imminente itaque gangrænæ metu ad validius remedium confugiendum esse constitui &

extracti Saturni duas usque uncias duabus libris aquæ commiscui,
Hoc medicamentum postquam per sex horas applicaveram, ægrotus primo titillationem quandam sentire pedemque movere coepit & continuato illius per duorum dierum spatium usu, pars afflicta detumuit, colorem magis naturalem, sensibilitatem aliquam & faciliorem motum adepta est. Hoc animadverso concentrationem aquæ memoratæ paululum diminui, temperantibusque sepositis corticis peruviani usu ægrotum octo diebus sanavi, ipsique diætam regimenque convenientem observandam praescripsi.

Ex his dictis colligi potest, quanta efficaciæ in tantis morbis aucta hujus aquæ vis merito sit habenda; id quod à nemine hucusque traditum esse memini eamque ob causam divulgandum operæ pretium duxi. Quod vero Plenckii opinionem attinet qui martialium remediorum usum externum in his affectibus extollit, quippe quæ materiam electricam in corpore afflicto hærentem extraherent, pro falsa merito est habenda: quia talis materia etiam in statu sano naturali in corporibus animatis existat et rariora tantum exempla dantur in quibus, ut Plenckius ipse adduxit, illa deficit, nullo vero corpori detrimento esse potest, nisi Athmosphæra electrica in vehementiorem motum concitetur.

Erfordiæ, d. XIIma Decembr.
MDCCLXXI.

Dr. [illegible]

Chirurgiæ Practicæ et Artis obstetriciæ in Alma Emericiana Erfordensi Demonstrator publicus, Societatis Moguntinæ Electoralis Scientiarum membrum ordinarium.

ACADÉMIE NATIONALE DE MÉDECINE